Dissertatio Philosophica

De

MONOGAMIA PERPETUA OMNI NUPTIARUM GENERI PRÆFERENDA,

quam,

Consentiente Amplissimo Phil. Ordine,

Præside

FREDRICO CEDERSCHIÖLD,
Moral. Professore,

Pro Laurea

exhibet

OL. MELÉN,
Calmariensis.

Die XV Junii MDCCCXXXII.

P. III.

Londini Gothorum.
Typis Berlingianis.
MDCCCXXXII.

Prosten och Kyrkoherden,

Högärevördige och Höglärde

Herr OLOF MELÉN,

samt

Prostinnan

Högädla

Fru U. B. MELÉN,

tillegnas denna afhandling

af

Sonlig tillgifvenhet, kärlek och tacksamhet.

§. IV.

Sunt, qui Polygyniam Juri Naturali, sequentibus rationibus ducti, repugnare contendant.

Primum, quia hoc modo non reciprocatur fides inter conjuges, quam tamen ratio dictitat, cum aliter conastare nequeat conditio pacti et compensatio fidelitatis. Sed hi erunt fere, qui, personam *moralem* a *physica* haud distinguentes, non introspicient, quomodo illa cum hac i. e. persona simplici, sive singulari, ita possit pacisci, ut utrique personæ eadem sint jura eademque officia. Non igitur plura jura omnibus sunt uxoribus, moralem personam gerentibus, quam marito soli qua personæ physicæ. Promisit maritus se rem cum aliis, quam suis ipsius uxoribus, non habiturum, et uxores marito promiserunt se neminem, nisi suum ipsarum communem maritum thori consortem facturas. Sive igitur per vices maritus cum iis concubuerit, sive unam, alteramve, ceteris prætulerit,

injuste non agit, quia nihil juris in corpus mariti habent uxores, nisi quantum ex pacto, cui libere adstipulatæ sunt, connubiali deduci potest. Justa igitur tunc solum earum est querela, cum maritus cum aliis, quam suis ipsius uxoribus, commercium habet, vel, ut dicit PLAUTUS, fundum alienum arat, incultum familiarem deserit.

Tum ex Polygynia Zelotypiam et discordias domesticas oriri contendunt. Qui, si didicerint, morum præcepta, ut supra diximus, non respicere ad ea, quæ fiunt, sed quæ rationi convenienter fieri debent, non urgebunt, Polygyniam propter incommoda quædam domestica, quæ eam comitentur, esse illicitam. Valet enim antiquitate illud tritum proverbium: *commoditas omnis sua fert incommoda secum.* Ipsa monogamia perpetua, quam inter omnia nuptiarum genera eminere probabo, sua habet incommoda; eam vero ideo illicitam esse frustra

contendas. De cetero hæc incommoda locum solum obtinent, ubi aut maritus et uxores fidem datam fefellerint, aut aliis se inquinaverint vitiis. Quæ quidem vitia non ex ipso Conjugio, sed ex prava conjugum indole sunt derivanda.

Deinde clamitant, Polygyniam fini matrimonii primario, generis humani propagationi, adversari. Quod quidem argumentum eo levius est, quo certius constat, Polygyniam, quoniam pluribus feminis occasionem dat procreandæ sobolis, non solum non obesse, sed prodesse propagationi.

Post Polygyniam spernunt, quia multæ ex ejusmodi conjugio nascuntur filiæ. Sed neque huic sententiæ subscribere possum. Sacra Scriptura, cui fides est habenda, certiores nos facit, Patriarchæ Jacobo, qui plures in matrimonio habebat uxores, plures fuisse filios, quam filias. De cetero feminarum multitudo, si Polygynia esset licita, plus prodesset, quam ob-

esset, hominum propagationi, id, quod jam supra probavimus.

Tum objiciunt, Polygyniam uxoribus impedire, quominus amoris instinctui satisfiat. Sed cum, testante experientia, multi viri tam fortes sint, ut pluribus feminis sufficere, multi contra tam infirmi, ut ne uni quidem satisfacere possint, haud justior a pluribus uni viro junctis uxoribus, quam ab una unius viri uxore, mota haberi absolute potest querela, præsertim si uxores imitari velint ZENOBIAM Palmyrenorum Reginam, quæ, testante TREBELLIO POLLIONE, ne virum quidem suum sciebat, nisi tentatis conceptionibus. Intemperantia, quam mariti insipientes uxoribus procreant, in caussa sæpissime, me judice, est, cur feminis Polygynia sit odiosa.

Deinde ad Sacra Oracula provocant, ubi Deus in MARCI Evangelio C. 10: 8, duos, marem nempe et feminam, unam fieri carnem jus-

sit. Ad hoc ita respondendum: Præceptum allatum *Positivum* est, nec cum *Rationali* Præcepto confundendum.

Polygamia soli legi morali, quam *imperfectam*, sive *internam*,, dicimus, repugnat. Sed, quoniam Lex *Positiva* atque adeo Lex Divina, qua Positiva, Polygamiam prohibendo, officium eorum, qui matrimonium inire voluerint, *imperfectum* cum *perfecto* commutat, illud eodem, quo cetera officia *perfecta*, honore haberi sancteque coli sua cujusque ratio jubet.

§. V.

Sunt etiam, qui propinquitatem sanguinis et affinitatis obicem nuptiis ponere contendant. Qui huic opinioni favent, ii

Primum ad pudorem, sive horrorem naturalem et confusionem nominum juriumque, quæ ex ejusmodi nuptiis, ut eorum fert opinio, orirentur, provocant. Quod si Historiam consula-

mus, facile intelligimus, ejusmodi pudorem, vel horrorem, nec fuisse Persis 8), qui inter filium et matrem matrimonium permiserunt, nec Atheniensibus 9), in quibus CIMON germanam sororem in matrimonio habuit, nec liberis ADAMI, qui, quoniam, testante Sacro codice, duo solum ab initio fuerunt homines, quo finis creationis promoveretur, thalamo necessario sociarentur. Qui caussam, cur nuptiæ cognatos inter et proximos illicitæ sint, in confusione nominum juriumque ponunt, ii hanc ipsam prohibitionem aut solum ad nuptias inter parentes et liberos, aut etiam ad nuptias inter fratres et sorores respicere putant. Qui prioris sunt opinionis ita ratiocinantur: "Si pater et filia, filius et mater jungi possunt, sequeretur, ut jus naturæ probaret contradictionem; at hoc absurdum, quia

8) Cfr. HEINECCIUS l. c. p. 239.

9) HEINECCIUS e. l. e. p. et PUFENDORF l. c. pp. 810, ubi mentionem facit matrimonii inter cognatos lege civili jam prohibiti, jam permissi.

nititur ratione, et ratio ab omni contradictione abhorret, ergo et prius. Consequentiam probamus: Si pater ducit filiam, ex eaque procreat filium, is erit patris sui nepos et filius, matris vero filius et simul frater; si mater nubat filio, eorum liberi erunt patris sui fratres et sorores, matris vero filii et nepotes, quod et Poëta Ovidius absurdum esse vidit, Metamorph. 10: 346 sequ., ubi Myrrha:

Nec, quod confundas et jura et nomina sentis?
Tune eris et matris pellex et adultera patris?
Tune soror gnati, genetrixque vocabere fratris?" 10)

Non solum igitur confusionem nominum ex his nuptiis nasci putant, sed etiam jurium. Aliud enim, inquiunt, jus, alia obligatio est inter filium et matrem; filius enim matri debet obsequium; aliud maritum inter et uxorem, nam

10) Heineccius l. c. p. 240.

huic uxor debet obsequium; si ergo filius uxorem duxerit matrem, tunc filius matris est superior et inferior, imperat et paret; quæ absurda. Sed observetis, velim, hanc contradictionem solum esse apparentem. Diverso enim respectu una eademque persona et imperare et obedire, et maritus et filius esse potest. Cum filius uxorem duxerit matrem, non qua filius, sed qua maritus, consideratur. Non prius enim se matri conjungit, quam matris in eum cessavit imperium. De cetero conjugum jura et officia sunt æqualia, et conjuges, qua æqualibus utentes juribus, æquales habendi. Mutuum obsequium conjux conjugi debet, nec alteri jus obsequii postulandi, alteri officium obsequii præstandi competit. Recte igitur Cel. Krug 1). "Ehegatten, inquit, haben in Bezug auf einander gleiche Rechte

---

1) *Encyklopädisch-philosophisches Lexikon*, 1 B. pp. 575, 576.